



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118316

§. 107. Meldorum, & Abrincarum obsidio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

Sæcul. XV
A. C. 1439

ficum, Ernesti Austriæ Ducis Filium, de Ladislai Patruum, quem tamen Germaniæ Principes non nisi ineunte Anno sequenti Regem Romanorum renunciarunt

§. CVI.

Res Gallicæ & Anglicæ.

Quamvis Burgundiæ Ducissa in Gallis pacem non sine ingenti sollicitudine reducere studuisset, nihilominus totum negotium in irritum cecidit, & bellum revixit: cum toto colloqui tempore nequidem induciæ inter utramque Nationem sancitæ fuissent.

§. CVII.

Meldarum, & Abrincarum obsidio.

*Jean.
Chart. hist.
de Charles
VII.*

Interea Connestabilis Meldarum urbem, quam obsidione cinxerat, fracta demum propugnantium constantia, ac superata loci iniquitate occupavit, in qua Gubernatorem, qui erat Nothus de Thiam, cepit, necnon capite truncari iussit. Accurrerat equidem Talbotus cum quatuor aut fere quinque armatorum milibus urbi periclitanti suppetias laturus, jamque unum Gallorum aggerem primo impetu transcenderat: cum autem perspiceret, rei desperatæ nullum amplius auxilium superesse, Pontæsiam sese recipere cogebatur. Vicissim quoque Galli
Abrin-

Abrincis infausto Marte pugnabant; Sæcul. XV.
A.C. 1439.
Talbotus enim Bellidux eundem Conne-
stabilem, qui dictam urbem circumse-
derat, obsidionem solvere compulit, omnibus
impedimentis, totoque belli apparatu in
Victoris arbitrio relictis. Funestus hic
solutæ oppugnationis nuncius non mo-
dice Regis, qui tum Andegavi agebat,
animum afflixit, dolorem tamen nonni-
hil lenivit oppidi Sansufanæ expugnatio;
locus enim erat, cujus possessio, quanto
hostibus opportunior, tanto magis Ande-
gavensi, & Cenomanensi agro erat infesta.

§. CVIII.

*Connubia Catharinæ de Francia cum
Carolesii Comite.*

Nihil magis tamen Regis animum ere-
xit, quam amicitia Burgundiæ Du-
cis, qui inviolabili fide sese Carolo VII de-
vovit. Hæc animorum conjunctio longe
magis adhuc firmata fuit conjugali vin-
culo, quod inter Catharinam de Francia,
& Carolum Carolesii Comitem, Ducis
Burgundi Filium natu majorem contra-
ctum est. Deducebatur Sponsa hoc an-
no insigni prorsus pompa in Belgium, ac
Burgundiæ Duci futuro Socero tradeba-
tur, qui eam Audomaropoli omnibus ho-
norum signis, quæ præclaro ejus generi
debebantur, excepit. Necdum illa deci-